PIETRO PANOCCHIA

HIRUNDO
ERITHACUS
AD SOMNUM

TERAMO
Officina Tipografica del " Corriere „

1908

PIETRO PANOCCHIA

HIRUNDO

ERITHACUS

AD SOMNUM

TERAMO
Officina Tipografica del " Corriere "
—
1908

MANIBUS

BERARDI MEZUCELLII

FLEBILIS OMNIBUS EREPTI

PETRUS PANOCCHIA

ALUMNUS

HAEC TRISTIA DEDICAT

TRISTISSIMO EDITA DIE

TERTIO A MORTE ANNIVERSARIO

XIV. KAL. MART. MCMVIII

HIRUNDO [1]

Tristis hiems abiit: non autem abiere dolores.
Dum rident campi, mollia corda gemunt.

Haec speranda manent, oblivia... Dulcis hirundo,
O dulcis veris nuncia, laeta veni.

- Ecquando - pueri quaerunt - ecquando redibit?
En notos nidos: his ova ponet adhuc? -

Intendens oculos mater coelumque peragrans:
- Advolat ecce - inquit - tectaque nota petit,

(1) - Questi versi furono la prima volta pubblicati nell'*Araldo Abruzzese*, ch'era ancor vivente il Maestro. Non occorre dire che con questo titolo va designato tra noi il carissimo Prof. Arcid. BERARDO MEZUCELLI, che con gentile pensiero questi versi volle riprodurre nel periodico *La Provincia*, facendo precedere le seguenti parole, troppo per me lusinghiere: Non dispiacerà nè all'autore, nè

Quae iam perlustrat, nidum studiosa requirens. -
 Attollunt vultus: quisque videre cupit.

O fortunatum puerum! pergrata redibit,
 Nec miror sane, semper hirundo tibi.

Quid mirum? Et muscis - nec fallor - pulcra videtur,
 Quae muscis vehemens obviat osque replet.

Quin vero, ne illi desint alimenta, frequentes
 Per latos coelos - fervidus ardor agit -

Multiplicandae errant alacres muscae. Dolor ipsis
 - Hoc mirandum - ales non satiatus adhuc.

O rident, rident homines, sua qui bona quaerunt,
 Non memores quae aliis tristia quaeque mala

Impendant, laetos quos saepe videmus abire
 Sanguine perfuso. Te quoque, hirundo, petunt

---

alla Direzione dell'*Araldo Abruzzese* se riproduciamo l'*Hirundo* di D. Pietro Panocchia. Sono bei distici, che attestano nell'autore forti studi classici, ed assicurano che nel Clero della nostra Diocesi non si è interrotta la gloriosa tradizione del culto delle Muse latine. Noi ce ne rallegriamo col Panocchia, che all'ingegno forte unisce più forte volontà di studi. E di ciò avremo più alte prove nell'avvenire. „

Ballista inferna, rapidum variumque volatum
Icto vi plumbo cui superare licet.

- En cadit... o cecidit...! - clamant omnes hilari ore. -
Sunt hilares: at tu nonne supina iaces?

Quae mihi crudelis cordi, quae vulnera fixit
Impietas hominum...! Quis medeatur homo?...

Haec speranda manent, oblivia... Mitis hirundo,
Quae sint tendendae - fortis iniqua pati -

Oblita insidias, adsis. Me pocula Lethes
Haurire o doceas, me miserum. Quid erit

Cordibus optandum melius, quid cordibus aegris?
Haec speranda manent... Dulcis hirundo, veni.

Che avrebbe detto quell'anima bella leggendo l'*Erithacus*, l'*Ad Somnum*, che insieme con l'*Hirundo* in questo opuscoletto alla sua memoria oggi consacro, o l'altra mia ode *Ad Divam Fidem* in altro opuscoletto ultimamente pubblicata?

Oh, vivesse ancora...! Con quanto piacere l'ascolterei quella sua voce soave, ancorché dovessi sentirmi rivolgere queste parole: " Al mio augurio non hai voluto rispondere. „

L'AUTORE

ERITHACUS

« Quitquit quit » lenis resonat nive candida sepes:
Quod mirum, sileant cum omnia hiemsque premat.

«Quit quit» Num hae lacrimae rerum? Audax verbero sepem,
Audax in lacrimas, quae mihi iamdiu amor.

Nil. Iterum tento sepem. Quae, quae lacrimae? « Quit ».
- O pulcrum, pulcrum! - Parvulus ales abit

« Quit quit » qui repetens arbusto, pondere laeto,
Insidet. Admiror, nomine quoque vocent

Nescius, adspicio. - O hic, clamo, hic cui a pectore nomen
Dat natura rubro... - Quodque suave rubens

Dulcius, haec nobis nive cum sint omnia operta,
Officiatque oculis unus idemque color.

« Quit quit » et arbustum resonat, lacrimasque videtur
Fundere, moestitia nubila quaque vice

Inducens animo memori, semperque malorum
O memori, quamvis... Quidque loquamur adhuc?

Nunc loquitur « quit quit ». Fleat an vero canat hoc « quit »,
Ignoro. Ecquis, quis dicere possit: At haec

Est flendi tristis, laeta haec est hora canendi?
Tu ruber o pectus, quique magister ades,

O dic, dic tu. Quid tamen? Et doctos canere alta
Magnos quosque viros saepe latere solet

An dolor hic longus, brevia hic an gaudia cessent,
Cum sint vel semper tristia mixta bonis.

At me ni fallat mens haec oblivia quaerens,
Te quondam audivi - quod meminisse placet -

Subtili exceptum ramo laeto ore canentem,
Et versus equidem quos Philomela probet.

Ridebant coeli, campi, omnia, sole micante.
Laetitiae hic cantus. Quidque « quit » illud? O dic.

Natura edoctus qui semper dicere vera,
Hoc « quit », dic, cantum nonne doloris habes?

Quam felix hominum genus usum tempore quoque
Luctu vel risu - sis - et utroque simul...!

AD SOMNUM

(ODE)

Iam lunae occiduae pallida cornua
Se condunt pelagi pectus in uvidum;
    Iam nox montibus altis
        Descendit propero pede.

En-clausis oculis, instabili motu
Huc illuc capitis pondere flexilis
    Nutante-en venit Hyblae
        Somnus nectare dulcior,

Fractis corporibus grata quies, quies
Defessis animis o cupienda tot,
    Tot fantisque oneratis
        Hac aetate laboribus.

Omnes nunc taceant - Somnus adest Deus -
Linguae multiloquae. Verba necantia
    Corda o dicere cesset
        Horror lingua novàcula.

Qui vellem lapidi, quique simillimo
Cerae me esse animo sentio praeditum,
Ut tandem requiescam
Te, Somne, invoco, te deum.

Quas grates referam, cuique deo, arduus
Quod cera haec scopulus manserit omnibus
Telis arte maligna
Quaesitis, num equidem scio?

Hoc unum scio - Somno adveniente - me,
Qui corde impavido tempora tristia
Laetoque exuperarim,
Iam dignum esse quiete. Sic

Nollent ex superis arcibus amplius
- Num, num vana loquor? - lumina ducere
Annum, nocte quieta,
Somno sceptra tenente! Sic

- Saeclorum ordine verso - immemor excitis
Somno gens liceat surgere criminum,
Gens mentem renovata,
Sancto concita numine,

Optata aurea iam saecula tamdiu
Quae currat facilis tramite pervio,
Astrea redeunte,
Astrea dominante...! Quid?

...Heu sollers nimium quaerere iurgia,
Sollers heu nimium afferre molestias,
- Hunc di avertite morem! -
Nec nocte hoc hominum genus

Somno indulget, atras quod tenebras fuget
Abrepto igne Iovis fulminibus - deo
Invito, lacrimante -
Puncto ne mala temporis

Ullo hoc pravum animo volvere desinat,
Hoc pravum genus!... Quae concipienda spes?
... Somni dira sororis
Regna optanda manent modo.

Vos vos, lumina clarissima, ducite
Annos, ducite qua sit via labida.
Per fas perque nefas, vos
- Haec lex - saecula, currite.